Universitätsbibliothek Paderborn

Svmma Totivs Theologiæ S. Thomæ Aqvinatis, Doctoris Angelici Ordinis Prædicatorum

Svpplementvm Tertiæ Partis

Thomas <von Aquin, Heiliger>

Romae, 1619

Vtrum excommunicatio iniuste lata, habeat aliquem effectum? 4

urn:nbn:de:hbz:466:1-38817

Visual Library

ARTIC. IV.

Vtrum excommunicatio iniuſtè lata aliquem effectum habeat?

84

AD quartum ſic proceditur. Videtur, quòd excommunicatio iniuſtè lata nullo modo effectum habeat. Quia per excommunicationem protectio & gratia Dei ſubtrahitur *: quæ non iniuſtè ſubtrahi poteſt. Ergo excommunicatio iniuſtè lata non habet effectum.

¶ 2 Præterea, Hieronymus † dicit, quod eſt de ſupercilio Phariſæorum, æſtimatq. eſſe ligatum, vel ſolutum, qui ligatur vel ſoluitur iniuſtè. Sed eorum ſupercilium erat ſuperbum & erroneum. Ergo excommunicatio iniuſta nullum habet effectum.

SED contra, Secundum Greg. * Sententia Paſtoris ſiue iuſta, ſiue iniuſta, timenda eſt. Non autem eſſet timenda, niſi aliquid noceret, etiam iniuſta. Ergo, &c.

RESPONDEO dicendum, quòd excommunicatio poteſt dici iniuſta dupliciter. Vno modo ex parte excommunicantis, ſicut cum ex odio vel ex ira aliquis excommunicat: & tunc excommunicatio nihilominus habet effectum ſuum, quamuis ille qui excommunicat peccet †: quia iſte iuſte patitur, quamuis ille iniuſte faciat. Alio modo ex parte ipſius excommunicationis, vel quia cauſa excommunicationis eſt indebita, vel quia fertur ſententia, iuris ordine prætermiſſo: & tunc ſi ſit talis error ex parte ſententiæ, qui ſententiam nullam eſſe faciat, non habet effectum, quia non eſt excommunicatio. Si autem talis error non annullet ſententiam, habet effectum ſuum, & debet excommunicatus humiliter obedire, & erit ei ad meritum: vel abſolutionem petere debet ab excommunicante, vel ad ſuperiorem iudicem recurrere. Si autem contemneret, eo ipſo mortaliter peccaret. Contingit autem quandoque, quòd ſit debita cauſa ex parte excommunicantis, quæ non eſt debita ex parte excommunicati: ſicut cum aliquis pro falſo crimine in iudicio probato excommuni-

** vt dicitur 4 ſenten. d. 18. §. 6 in fi. & q. præſen. ar. 2. ad 3.*

† ſuper illud Mat. 16. Tibi dabo. t. 9

** Hom. 26. in Euan. à medio illius. habetur 11. q. 3. c. 1. & 27 Cap. ſacr. extra de ſent. exc.*

† Greg l 2. epi ep. 34 poſt med. & 23. q. 4. c. 23 inter quere las.

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

municatur; & tunc ſi humiliter ſuſtinet, humilitatis meritum recompenſat excommunicationis damnum.

Ad primum ergo dicendum, quòd quamuis homo gratiam Dei iniuſtè amittere non poſſit, poteſt tamen amittere illa iniuſtè, quæ ex parte noſtra ſunt, quæ ad gratiam Dei diſponunt: ſicut patet, ſi ſubtrahitur alicui doctrinæ verbum quod ei debetur. Et hoc modo excommunicatio gratiam Dei ſubtrahere dicitur, vt ex prædictis patet †.

Ad ſecundum dicendum, quòd Hieronymus * loquitur quantum ad culpam, & non quantum ad pœnas, quæ poſſunt etiam iniuſtè infligi à rectoribus Eccleſiarum.

† ar. 2. co. & ad 3. & ar præſen. arg. 1

* loc. cit. in arg. 2.

QVÆST. XXII.

De his, qui poſſunt excommunicare & excommunicari, in ſex articulos diuiſa.

DEinde conſiderandum eſt de his, quæ poſſunt excommunicare & excommunicari.

¶ Circa quod quæruntur ſex.

¶ Primo, vtrum quilibet ſacerdos poſſit excommunicare?

¶ Secundo, vtrum non ſacerdos excommunicare poſſit?

¶ Tertio, vtrum excommunicatus vel ſuſpenſus poſſit alium excommunicare?

¶ Quarto, vtrum aliquis ſeipſum, vel æqualem, vel ſuperiorem poſſit excommunicare?

¶ Quinto, vtrum aliqua vniuerſitas excommunicari poſſit?

¶ Sexto, vtrum ſemel excommunicatus excommunicari poſſit vlterius?

ARTIC. I.

Vtrum quilibet ſacerdos poſſit excommunicare?

AD primum ſic proceditur. Videtur, quòd quilibet ſacerdos poſſit excommunicare. Excommunicatio enim eſt actus clauium. Sed quilibet ſacerdos habet claues. Ergo quilibet ſacerdos poteſt excommunicare. 85

Tho. in 4. d. 18. q. 2 ar. 2. q. 1. & ſeq.

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN